

Artic. 3. Jul. Clar. Recept. sent. libr. 5. fornicatio. Neque 26  
 huic sententiæ quicquam refragatur exemplum Hosæ Prophetæ.  
 Nolo quidem hic amplecti sententiam B. DN. LUTHERI in Præ-  
 fat. German. in Hos. quasi honesta fœmina fuerit, qua de Hos. 1. &  
 3. sermo est; ei vero Mandato DEI nomen scorti impositum ad  
 significandam populi Israelitici spiritualem fornicationem: quam  
 interpretationem præter Osiandram etiam suam fecit Tarnov.  
*In Exercitat. Biblicis pag. 605.* Sed tamen nec iis accedere volu-  
 mus, qui sanctissimum prophetam speciali DEI iussu vere cum  
 meretrice rem habuisse non citra blasphemiam quandam contem-  
 dunt. Certissimi potius sumus, cum meretricem duxisse uxorem, 27  
 cumque illa ut legitima uxore cohabitasse; verum istam, non,  
 prout matronam decet, pudice vixisse, sed more meretricio  
 egisse. Hinc etiam filii ex ea suscepti à matre filii fornicatio-  
 num denominantur. Neque aliud colligere licet *ex cap. sub- 28*  
*seq. 3.* ubi eam iterum ex mandato Divino ceu meretricem quan-  
 dam ambiisse, ejusque concubitum sibi pro certa mercede pactus  
 esse legitur. Non enim sollicitavit meretricem quandam ad  
 concubitum, sed cum uxor ipsius, nulla habita ratione matri-  
 monii, quæstus gratia se aliis etiam prostitueret, ejus amorem,  
 quem ista non ex animo aestimabat, sibi pretio quodam conciliare  
 voluit. Igitur non quæstum meretricium dedit meretrici; sed  
 uxori donationem fecit, ut ab aliis Viris se aliquamdiu tempe-  
 raret; quæ donationes alias in jure nostro improbantur, quod  
 noluit matrimonia esse venalia *L. 2. & tot. tit. ff. d. donat. in-*  
*ter. vir. & uxor.* Multo vero minus factum Judæ *Genes. 38.*  
*vers. 23* aliunde evincit; cum nos tam, quid factum fuerit, quam  
 quid fieri debuerit, attendendum sit: & deinde Judas ibi, ut  
 antea sollicitus, sic nunc securus de existimatione sua inducitur,  
 quæ periclitari videbatur, si putativum illud scortum stuprum  
 manifestaret, inque vulgus disseminaret: cum præter pastorem  
 ipsius, Odollamitam nemo hujus concubitus notitiam habe-  
 ret. Quam sententiam quoque eleganter illustrat *Calvinus*  
*in commentar. ad Pentateuch. Mos. pag. 255.* hunc in modum:

E 2

Nam

310